Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars II.

Wien, 1794 Seite 1931

Quelle:
Copyright:

ſis Sententiam: non licere Viro duas eodem tempore uxores habere, datam 1540. germanice hoc ingreſſu: *Das ainem Chriſtenn nit gezimet Auff einmal zugleich mehr dan ein Ainigs eheweyb zu haben.* 2^do. Epiſtolam *Mart. Lutheri* germanicam datam *Dinſtags nach Cantate. Im.* 33. latine ſic inſcriptam: *Cuidam tentato quod Relapſus ſit ad Papiſtas Conſolatio.* Ejusdem Conſolatoriam bene longam ad *Fridericum* (ut hic pro *Johanne* ſcribitur) Saxonem ad Comitia Auguſt. 1530. germanicam, quae habetur edita inter Conſolatorias *(Etliche ſchöne Troſtſchrifften)* a *Joh. Aurifabro Erfordiae* 1547. 4. et incipit: *Ich hab nun lange verzogen mit Antwort* &c. Ejusdem ad *D. Hier. Wellerum* de Infantibus in utero matris non baptizandis datam *Vigilia Nativit.* 1539. Incipit: *De Infantibus adhuc in utero matris baptiſandis* &c. Extant binae ejusdem argumenti inter *Lutheri* Epiſtolas a *Gottfr. Schützio Lipſiae* 1780. editas. T. II. p. 224. et 312. 8. Ejusdem Judicium breve *de Somniis* germ. lat. 3^tio. *Caſus quidam matrimoniales qui Controverſiam habere videntur*, numero ſex. De *primo* circa Reſciſſionem promiſſorum Sponſalium decidunt cum ICtis *Phil. Melanchthon.* et *D. Juſtus Jonas.* 7. *Dec.* 1539. De *ſecundo*: An matrimonium coactum ualeat, refertur *Lutheri* ſententia 1524. De *tertio* uxoris transfugae alteri nubere cupientis *Joh. Pomerani* mens a *Lutbero* confirmata. De *quarta* Mariti ab uxore deſerti alteram ducere volentis judicium *Lutheri* et *Melanchthonis Lunae poſt Joan. Bapt.* 1531. De *quinto* caſu ejus, qui ex alio gravidam duxerat, judicium *Melanchthonis* ad *Georg. Spalatinum* 1534. De *ſexto* caſu: poſſitne Conjux, compari ſuo morbo incurabili adfecto, ad alias tranſire nuptias, *Lutheri* judicium ad *Joach. de Weisbach* germ. *Witteb. in Vig. Barthol.* 1527. *foll.* 8.

VI. Acta germanica in Cauſſa *Pauli Wiener* Sacerdotis *Viennae*, quod *Lutheri* dogmata populum *Labacenſem* de loco ſuperiori docuiſſet, et uxorem duxiſſet, in cuſtodia habiti. Continent 1^mo. formulam της παλινωδίας *Paulo* ab inquiſitoribus regiis praeſcriptae. 2^do. Reſponſum *Pauli* revocationem doctrinae ſuae detrectantis. 3^tio. Capita accuſationis eidem a Judicibus ſcripto tradita. 4^to. Apologiam illius prolixam ad ſingula Capita. Canonicus Eccl. *Labac.* in *Carniolia* fuerat *Paulus*, et religionis ergo *Ferdinando* I. ab Epiſcopo ſuo *Urbano Textore* delatus eſt. Rex illum *Viennam* traduci et cauſſam dicere juſſit. Inquiſitorum ſuorum *Paulus* ſolum nominat *D. Burchardum*, qui erat *Burchardus de Monte* Noviomagus S. Literar. tunc in Academia *Vienn.* profeſſor. Tangit negotium hoc Ill. *Valvaſorius* in *Ehre des Herzogth. Crain*, annoque 1547. adſignat L. VII. P. 2. p. 432.